I.

Dialogum de oratoribus tractaturi primum, a quo sit compositus, anquiremus. Neque vero fieri potest, ut breviter respondeamus, cum de huius opusculi auctore grammatici iam quadringentos prope annos non desierint certare.

'Et adhuc sub iudice lis est.'

At vero in hac controversia, quae, quidquid fere ad Dialogum pertinet, complectitur, dissertationis nostrae fundamentum iaciemus.

Nullam dubitationem nihil nisi illud habuit, quod codices manuscripti, qui quidem exstent, nomen Corneli Taciti prae se ferunt. Quare si aut litem dirimere aut varias opiniones aequa veluti lance ponderare meditamur, non modo antea, quid contineat libellus, verum etiam Taciti vitam codicumque auctoritatem oportet cognoscamus. Quo facto reputare iuvabit, quibusnam argumentis Tacitus auctor aut respuatur aut probetur quidque valeant haec argumenta.

II.

Inscriptus est Dialogus Iusto Fabio sive — nomine gentili vetere ex more cognomini praeposito — Fabio Iusto, qui Plinio minore familiariter utebatur (Ep. I_{11}, VII_2) et a. 102 (C. I. L. 6,2191 et 6,10244) videtur consul fuisse.

Cui quaerenti, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, ipsorum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat, Dialogi auctor minime se tam magnae quaestionis pondus excepturum fuisse respondit, nisi 'iuvenis admodum' disertissimorum hominum de hac ipsa re inter se colloquentium sermoni interfuisset, quorum sententias se 'iisdem numeris iisdemque rationibus' repetiturum esse.

III.

Quos viros deinde disputantes ab initio inducit, sunt: Curiatius Maternus, M. Aper, Iulius Secundus, quorum ultimus aequalis erat et amicus Quintiliano, qui „Iulio Secundo, scribit (Instit. orat. X 1,120), si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret; adiecisset enim atque adiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest, id est autem, ut esset multo magis pugnax et saepius ad curam rerum ab elocutione respiceret." Unde apparet Iulium Secundum ante Institutionem oratoriam editam, i. e. ante a. 96 fere mortuum esse.

De M. Apro nihil scimus, nisi quid Dialogus aperiat; eum in civitate Galliae minime favorabili natum quaestura, tribunatu, praetura esse functum et aeque ac Iulium Secundum 'celeberrimum tum fori ingenium' fuisse.

IV.

Curiatium vero Maternum accipimus ex eodem Dialogo versatum esse per longum vitae spatium felicissimo cum successu in causarum patrocinio rebusque forensibus, sed forensium curarum taedio captum et satietate se convertisse ad versus faciendos et totam vitam in iis insumere statuisse. Indole sua ad tragoedias componendas motum Maternum ea sibi fabularum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

argumenta elegisse, quae vel tyrannorum eorumque asseclarum turpitudinem spectatoribus ob oculos ponerent vel strenuissimos libertatis vindices laudibus extollerent.

Cuius generis Catonem tragoediam fuisse, quam pridie eius diei, quo dialogus haberetur, recitans nimiis Catonis virtutum laudibus 'potentium animos' offendisset. Ubi vero eandem ob rem ab amicis Dialogo ineunte admonitus est, ut in posterum pravam interpretandi materiam evitaret, tantum abest, ut maiorem cautionem polliceatur, ut 'si qua omiserit Cato, sequenti recitatione dicturum esse Thyesten' promittat. Quam pertinaciam, cum iam Vespasianum laederet, sub Domitiani imperio Materno exitio esse futuram quis est, quin praesagiat.

Atque Cassius Dio 67,12 tradit: *Μάτερνον σοφιστὴν, ὅτι κατὰ τυράννων εἴπέ τι ἀσκῶν* (i. e. declamans) *ἀπέκτεινεν* (sc. Domitianus a. 91). Quod ad Dialogi Maternum referendum esse ut non 'in confesso' est, ita parum prospere a nonnullis viris doctis eo refellitur, quod Dio de sophista, non de poeta loquitur; neque enim, num Maternus poeta manserit, exploratum est. Erat autem, cur sophistes appellaretur, namque simili auctoritate florebat, ac Tacitus, ad quem Plinius minor, cuius patria Comum magistris carebat, scripsit haec (Ep. IV 13): „rogo ut ex copia studiosorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus". Aeque non dubium est, quin Materno quoque iuvenes assidue operam darent. Addubitare igitur, an Dionis Maternus idem atque Dialogi sit, nihil opus est.

V.

Iam vero ad Curiatium Maternum 'postero die quam Catonem recitaverat' salutatum conveniunt Marcus Aper et Iulius Secundus, eius familiarissimi. Quem cum eandem fabulam inter manus habentem offendant, Aper poetica Materni studia indignatus dolendum esse dicit Maternum ab ipsa natura ad eloquentiae praestantiam natum levioribus carminum studiis se dedisse, praesertim cum et utilitate et voluptate et gloria nihil magnificentius sit, quam oratoria et forensis eloquentia, id quod Aper exemplis Eprii Marcelli Vibiique Crispi delatorum ornat.

Quid contra emolumenti inesse in arte poetica nisi laudem inanem, volucrem, infructuosam. Poetis, 'ut ipsi dicunt, in nemora et lucos' esse secedendum, id est in solitudinem, fugiendam consuetudinem amicorum, 'si modo dignum aliquid elaborare et conficere velint'.

Maternus carminum studium eloquentia inferius esse negat. 'Nemora vero et lucos' tantam sibi adferre voluptatem, ut prae iis strepitus forensis sordeat et vilescat.

VI.

Vixdum Maternus loquendi finem fecerat, cum Vipstanus Messalla, quartus interlocutor, ingressus est, quem Tacitus in Historiis a. 69 munere tribuni militum functum esse (III 18) annoque 70 apud senatum fratris sui patronum exstitisse (IV 42) auctor est.

Qui de praegressae orationis argumento paucis certior factus causas 'infinitae inter antiquos et novos oratores differentiae' indagandas proponit. Aper defensione suae aetatis suscepta primum perperam distingui contendit, quibus illud antiquorum nomen tribui oporteat. Neque enim Menenium Agrippam dici antiquum, sed Ciceronem quique una floruerint cum eo, quamvis ab illius morte vix [sic interpretandum est!] centum et viginti anni praeterierint.

Deinde Aper formas et genera dicendi simul cum temporibus et diversitate auditorum mutari monet atque nonnullis oratoribus recensitis multa antiquorum vitia reprehendit.

VII.

Messalla diversa genera et esse et fuisse largitur quidem, antiquorum tamen virtutem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multo maiorem esse asseverat, cum in recentioribus levitas, mollities, 'histrionalis' fere cultus appareat. Imminutae eloquentiae causam primam in desidia iuventutis, neglegentia parentum, inscientia praecipientium, oblivione moris antiqui esse positam. Alteram in mutatis exercitationum generibus sitam esse, cum olim iuvenis ad excellentem aliquem oratorem deduceretur, nunc rhetorum scholae frequententur.

Messallae oratione in c. 35 magna lacuna interrupta tertia causa a Materno videtur proferri: conversam et rei publicae et iudiciorum formam usum et laudem eloquentiae imminuisse. Quod argumentum multi interpretes Iulio Secundo tribuunt, cui alias nullae fere in Dialogo sunt partes. Materni sermonem, quem in c. 16 praenuntiat, in c. 40 ante 'Non otiosa' incipere.

Sed nonnulli viri docti eidem Iulio Secundo etiam quod superest Materni sermonis adiudicant: eloquentiam fractam non inter detrimenta, sed propter multam civitatis securitatem, legum custodiam, imperium uni delatum inter maxima commoda numerandam esse, quippe quod a Materni ingenio magnopere abhorreat.

Si recte coniciunt, Materni sermo in c. 42 ante 'Finierat Maternus' intercidit. Quo habito Dialogi participes discedunt.

In Materno multi viri docti Tacitum recognoscere sibi videntur, quae opinio Teuffelo iudice Taciti vita parum confirmatur.

VIII.

Age vero Taciti vitam breviter perlustrabimus. Perpauca de ea et ne haec quidem satis certa et explorata habemus. Ambigitur, utrum ei Gaio an Publio fuerit praenomen, utrum ortus sit e patricia an plebeia familia. Ex eo, quod imperator Tacitus († a. 275), qui se nostri esse posterum gloriabatur, Interamnae Umbrorum natus est, Interamnates audacter collegerunt historicum quoque esse civem suum, cui in via Spoletana monumentum posuerunt.

Fide dignius eques ille Romanus eiusdem nominis, quem Plinius maior (Hist. nat. VII 17) sese Claudii fere aetate Galliae Belgicae rationes procurantem vidisse narrat, nostri pater existimatur.

IX.

De anno, quo sit natus, ex Plinii minoris epistulis (VII 20) coniectando quaedam elicere possumus, ubi ad Tacitum ipsum scribit haec: „Erit rarum et insigne duo homines aetate, dignitate propemodum aequales nonnullius in litteris nominis — cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico — alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam".

Plinius igitur, qui (Ep. VI 20) se ignibus a. 79 e Vesuvii vertice erumpentibus annum egisse duodevicesimum (i. e. a. 61—62 natum esse) refert, Tacitum amicum nonnullis annis habebat maiorem.

Quod in tempus quadrat aliud nostri: „Mihi, inquit (Hist. I 1), Galba, Otho, Vitellius († Dec. 69) nec beneficio nec iniuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano († Iun. 79) inchoatam, a Tito († Sept. 81) auctam, a Domitiano († Sept. 96) longius provectam non abnuerim, sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est". Unde iuvenem ante Vespasianum nullo honore esse affectum patet.

Primum vero, quod potuerit accipere, beneficium non quaesturam, ut homines credebant, sed latum clavum ordinis senatorii fuisse cum alii tum Ovidius illustrat, cui decemviratu stlitibus iudicandis functo 'curia restabat', sed 'clavi mensura coacta est' (Trist. IV 10,35), quod insigne

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut iam ante quaesturam indueretur, Augustus permiserat (Sueton. in Aug. 38). Praeturam Tacitum a. 88 inisse ex Ann. XI 11 elucet: „nam is quoque (sc. Domitianus) edidit ludos saeculares (septimos nempe se et L. Minucio Rufo coss. a 841/88, cf. Censorin. D. n. XVII 11) iisque intentius adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor".

Deductis inde annis inter quaesturam et praeturam legitimis Tacitus anno ultimo imperantis Titi (81) quaestor fuit, ad quem honorem si suo anno, i. e. vicesimo quinto peracto ascendit, a. 56 natus est.

X.

Quin, antequam capesseret honores, operam contulerit in arte oratoria iurisque peritia, non est, cur dubitemus. Quintiliano eum dicendi magistro esse usum cum per se verisimile est, tum ex Plinii, quem Quintiliani discipulum fuisse certum est, conicitur epistulis, e VII 20: „gaudeo quod, si quis de studiis sermo, una nominamur, quo de te loquentibus statim occurro", et e VII 7: „Neque ut magistro magister neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis) — librum misisti."

Idem Plinius refert (Ep. II 11), quanti Tacitus inter oratores causidicosque aestimaretur. „Respondet, inquit, eloquentissime et quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς." Quocum loco componere liceat Ep. II 1: „Laudatus est (sc. Virginius Rufus) a consule Cornelio Tacito; nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus".

Qua virtute haud scio an probatus sit Cn. Iulio Agricolae († Aug. 93), qui cum a. 77 consul esset, Tacito filiam duodecim fere annorum despondit ac, postquam consulatu abiit, in provinciam Britanniam profecturus collocavit.

Gener praetura transacta a. 89 Romam una cum uxore reliquit (Agric. 45), haud dubie ut provinciam aliquam togatam pro praetore administraret, neque de ulla probabilius coniciemus, quam de Belgica, in qua pater procurator fuit ac noster accuratam suam cognitionem Germaniae acquirere potuit.

Agricolae morienti 'assidere, fovere deficientem, satiare vultu complexuque non' ei 'contigit', sed eodem vel postero anno (93 vel 94) eum Romam redisse colligimus ex Agric. 45: „mox (i. e. post mortem Agricolae) nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit".

XI.

Reverso ei sperare licebat, ut paulo post consul crearetur, quam spem destituit Domitianus, quo vivo Tacitus nihil iam, nisi quod pridem quindecimvir sacris faciundis factus huic muneri debebat, egit publice. Domitiano a coniuratis perfosso (Sept. 96) non Nerva († 27. Jan. 98), ut opinio erat, sed Traiano († 117) imperante in locum Verginii Rufi consul suffectus est.

Post consulatum quae publice gesserit, nescimus, nisi quod Plinius (Ep. II 11) se cum Cornelio Tacito causam egisse dicit Afrorum contra Marium Priscum proconsulem repetundarum reum, qua in causa Traianum non sine adsensu audivisse senatumque industriam oratoris laudasse.

Maximam vitae, quae restabat, partem litteris eum censeamus dedicasse, idque Romae, quia commentariis senatus se esse usum tradit (Annal. XV 74).

XII.

Agricolae soceri vitam, quoniam Nervam sine cognomine divi memorat, Traianum autem iam in consortium imperii adsumptum designat, eodem anno scripsit, quo consulatu fungebatur (98), ac libellum de situ, moribus, populis Germaniae haud ita multo post, fortasse ut Traiano modo e Germaniae finibus reverso ingeniose gratificaretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Historiarum libros Traiano imperante scribi coeptos esse ex I 1 sequitur, ubi „Quodsi, inquit, vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani — senectuti seposui etc.“ Complectebantur autem Historiae duodetriginta annorum spatium inde a secundo Galbae consulatu usque ad Domitiani interitum (69—96) et quatuordecim libris conscriptae videntur fuisse, cum Hieronymus Historiarum Annaliumque libros omnino fuisse triginta dicat. Exstant quattuor priores et quinti pars, quibus vix anni unius et sex mensium res gestae continentur.

Quo opere perfecto sedecim Annalium libros in lucem protulit et ipsos nunc aliquot suis partibus mutilos aut omnino deperditos. Res inde a Tiberii imperio usque ad Neronis exitum gestas enarrant.

De tempore, quo Tacitus vita excesserit, certi nihil constitui potest. Annalium vero libris sub finem Traiani emissis haud abhorret a vero eum ultra huius imperatoris tempora (i. e. a. 117) vitam produxisse.

XIII.

Germani de Tacito similiter gloriari possunt, ac si suus fuerit, namque gravissima eius scripta tradita referuntur maioribus nostris. Studemund enim et LUrlichs (Eos I p. 243 ff., II 224 ff.) indagarunt fuisse saeculo VIII. vel IX. in monasterio Fuldensi codicem quendam vetustum, qui una cum Taciti Annalium sex libris prioribus Germaniam, Agricolam, Dialogum continebat.

Ex quo Fuldensi saeculo XI. Corbeiae apographum factum esse constat sex illos libros Annalium continens, cum altera codicis pars saeculo XIII. in monasterium Hersfeldense mitteretur, ubi uno exemplari exscripto aut neglegentia periit aut vetustate consumpta est.

Corbeiense apographum a. 1508 Romam perlatum non multo post Leo X. in bibliothecam Laurentianam recepit, ubi exstat.

XIV.

Omnium vero codicum, quotquot Germaniae et Dialogi supersunt, fons communis apographum Hersfeldense est, a. 1451 in illo monasterio repertum ab Henochio Asculano, de quo Vespasianus Florentinus (Vite di uomini illustri del secolo XV. in Maii Spicilegio I 665) memoriae prodidit haec:

Enoche fu d'Ascoli ed avendo dato opera alle lettere latine venne in Firenze dove si leggeva in ogni facoltá ed istette in casa di Bardi per ripetitore. — Sendo papa Nicolá (1447 — 1455) mandó Enoche in Germania con brevi apostolici a tutti i luoghi de religiosi ch'eglino mostrassino tutte le librerie che avessino, sotto pena di escommunicazione a quegli che non le mostrassino. Cercó parte della Germania — trovó poche degne cose di memoria etc.

De praeclaro Henochii reperto, quod biographus Florentinus ignorare videtur, a Ioviano Pontano certiores fimus, qui rem in codice suo ad Suetoniani initium his verbis annotavit: „Hos libellos (Dialogum, Germaniam, Suetoniani libri fragmentum) Iovianus Pontanus conscripsit nuper adinventos et in lucem relatos ab Enoc Asculano, quamquam satis mendosos. MCCCLX. Martio mense“.

Voigt (Wiederbelebung des klass. Altert. I S. 255) monet, ne nimiam fidem adiungamus Pontano, qui saepius erraverit. Quod argumentum si vigebit, nemini iam credendum erit, namque errare humanum est. Pontanus Henochio aequalis verum potuit comperire neque, quantum scimus, quidquam habuit, cur de industria a vero discederet.

XV.

Veri dissimile sane est Henochium ulla, nisi quae ipse transscripserat, exemplaria e Ger-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mania asportavisse, id quod intellegitur ex hac epistula a Nicolao V. P. M. ad Ludovicum Erlichshusensem ordinis Teutonici magistrum data: „Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem! Iam diu decrevimus atque ad id omni studio operam damus, ut pro communi virorum doctorum commodo habeamus librorum omnium cum Latinorum tum Graecorum bibliothecam condecentem pontificis et sedis apostolicae dignitati et iam ex iis, qui reperiuntur omnis generis scriptorum maiorem partem habemus. Sed cum multi libri ex antiquis deficiant, qui culpa superiorum temporum sunt deperditi, ad inquirendum et transscribendum si reperiantur eiusmodi libros mittimus dilectum filium Enoch Asculanum, virum doctum Graecis et Latinis litteris, familiarem nostrum, qui diversa loca et monasteria inquirat, si quis ex ipsis apud vos libris requiretur. Idcirco nostri contemplatione velis omnes tui territorii libros sibi ostendere, antiquos praesertim et priscae scripturae, et simul permittere, ut in tuo territorio scribi possit expensis nostris. Nolumus enim, ut aliquis liber surripiatur, sed tantummodo, ut fiat copia transscribendi, super quibus ipse Enoch tecum loquetur latius ex parte nostra. — Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatorio die ultima mensis Aprilis pontificatus nostri anno quinto a. C. 1451. — Insuper quia ad diversas mundi partes iturus est, hortamur te, ut in omni sua necessitate nostri contemplatione sibi subvenias".

XVI.

E libro Henochiano, qui ipse periit, mox dua exempla descripta esse videntur, alterum a Michaelis editore, quem in hac quaestione uno codice excepto plerique Dialogi interpretes sequuntur, „X" appellatum ab homine diligenti sed indocto, alterum „Y" a viro ut minus religioso ita doctiore et ingeniosiore, quibus exemplis eadem iniquitate temporum privati sumus, verum exstant utriusque apographa, prioris duo: Vaticanum, vulgo A, et Leidense, vulgo B, alterius plura.

Apographum A qui exaravit, codicem illum X summa religione expressisse et perpauca, ut ait ipse, 'meliuscula fecisse' inde patet, quod cod. A omissis rebus orthographicis nonnisi octo locis lectionem sibi propriam praebet. Multo plus novavit Iovianus Pontanus, quem a. 1460 archetypum transscripsisse cod. B testatur, Neque vero cod. B ipse Pontani manu exaratus, sed ex eius apographo descriptus est. Quare quae una Leidensis fide nituntur, raro constat sintne a Pontano, an ab eo, qui codicem B scripsit, profecta. Quae difficultas aliquanto temporis spatio post a correctore quodam non indocto ita aucta est, ut aliis quoque libris vel manuscriptis vel typis expressis usus esse videatur.

Exceptis A et B omnes codices ex uno apographo Y fluxisse Nipperdey intellexit, quorum Vaticanus alter D neglegentia ut maxima ita inconsulta scriptus sincerus quidem libri Y testis est. Doctius munere suo functus est, qui ex apographo quodam libri Y exaravit codicem Farnesianum C, cui Vaticanus Δ tam similis est, ut eandem utrique originem esse appareat.

XVII.

Accedit Ottobonianus E, quem Michaelis ex Farnesiano C transscriptum atque Vaticano A adhibito correctum esse, Steuding vero (Progr. Wurzen, 1878) non pendere ex C, sed ex eodem apographo, cum codices Farnesianus et Vaticanus D iam facti essent, advocatis Leidensi B et Vaticano A emendato haustum esse putat, a qua opinione Scheurer (Dissert. Breslau 1891), Gudeman (Edit. Boston 1894), alii haud ita multum distant, nisi quod Vindobonensem V ex eodem cum E fluxisse fonte opinantur, cum Bährens (Ausg. Leipzig 1891) Ottobonianum ex ipso Y manavisse autumet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omnes vero pauca eum dignum esse fide declarant, id quod apud Steudingium quidem admirationem movet, quoniam scriptorem de 26 locis, in quibus ad suum arbitrium discrepat, quindecim recte mutavisse statuit. FABoeckhius, haud spernendus huius rei existimator, vix quinque ex centum coniecturis esse probabiles censebat. Qua de causa crederes Ottoboniani librarium, qui ex centum coniecturis quinquaginta octo recte facere callebat, praesertim cum eius emendationes, si non annumerantur, sed appenduntur, crescant, non magis suspicionem, quam invidiam excitare. At Steuding eum non modo non admiratur, sed etiam perstringit, ubi difficultatem sanandi reformidans propriis coniecturis se abstinuit. „Wie genau, inquit ironice, dieser Schreiber seinen Autor verstanden hat, zeigen auch die nur von ihm an schwierigen Stellen gelassenen Lücken".

Lacunas in reliquis cocidibus omnino non inveniri abhorret a vero, cum in c. 22 Ottobonianus quidem 'optet . . . . .', Leidensis autem et Vindobonensis 'opt . . . . . et', porro Farnesianus in c. 42 ante „finierat Maternus" „spatium punctis distinctum ac lacunam indicans" (Steiner, Progr. Kreuznach, 1863) exhibeat. In magno denique nomine et gloria est lacuna capitis 35, quae in omnibus manuscriptis indicatur atque, ut aliter ac Steuding de Ottoboniani lacunis sentiamus, adducit.

XVIII.

Adnotatum enim est in A: „hic desunt sex pagellae", in B: „deerant in exemplari sex pagellae vetustate consumptae", in C: „multum deficit in exemplaribus, quae reperiuntur", in D: „aliquot versus vacui relicti sunt", in E: „in exemplari dicitur deesse sex paginas".

Numerus paginarum in Farnesiano et Vaticano D rectius omissus est, quia foliorum magnitudo in diversis codicibus variat. In Leidensi enim Dialogus viginti octo, in Ottoboniano sedecim paginas implet, propterea quod lacuna — utrum decima, an nona, an quinta pars totius operis sit — numero paginarum non metienda est. Neque enim sex pagellae librorum, qui exstant, significantur. Sed ne in Henochii quidem exemplum numerus paginarum referendus est, cum paulo ante scriptum non iam 'vetustate consumptum' esset.

Hersfeldensis igitur codicis pagellae sex indicantur, id quod ut frustra a nonnullis grammaticis lacunae intervallum certo definiri probat, ita de illius codicis condicione potestatem facit coniciendi.

Namque sex pagellis vestustate consumptis verendum est, ne scriptura multis aliis quoque locis evanuerit, quos Henochius, cum in iis supplendis non multum commorari posset, in apographo suo vacuos reliquerit. In quibus ut ducamus et lacunas Ottoboniani eo facilius impellimur, quod librarius alia ratione, ut opinor, aut verba archetypi non omisisset aut suis aliorumve coniecturis emendasset. Quod ut sentiamus, Ottoboniani lacunae et ipsae adducunt.

Loci vacui sunt octo (1 · 18, 1 · 19, 2 · 11, 22 · 15, 26 · 15, 29 · 5, 33 · 21, 38 · 2), qui numerus fortasse litteris vocabulisque omissis augendus est. Neque enim primam Dialogi vocem per indiligentiam ' . . epe' pro 'Saepe' esse scriptam quis est, quin agnoscat. Quamquam difficultatem interpretandi non fuisse lacunarum causam seorsum demonstrant eae, quae ad verba reliquorum codicum non conveniunt atque hinc ob id ipsum non praeformatae sunt, ut in c. 26 · 15: 'dam . . . et', deinde eae quibus in reliquis manuscriptis nihil respondet, 'ut afferent . . .' in c. 1 · 19.

Itaque cum Ottoboniani lacunae non ad arbitrium factae sint, sed pristinum primi apographi statum praebeant, maior huic codici auctoritas attribuenda est. A Schöne, quo perpauci sunt abundantioris in codicibus iudicandis et experientiae et doctrinae, Ottobonianum omnium Dialogi codicum declarat praestantissimum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIX.

Restant praeter duorum codicum fragmenta quattuor integri: Harleianus, Vaticanus, Vindobonensis, Urbinas, qui omnes Vindobonensi, quem supra commemoravimus, forsitan excepto ex tertio codicis Y apographo eoque neglegentissime facto descripti sunt, nisi forte Petersonio (Edit. Oxford, 1893) confidere lubet, qui, qua sunt Angli iactatione, Harleianum ex ipso archetypo Fuldensi transscriptum esse dictitat.

XX.

Praescripto Corneli Taciti nomine codicibus manuscriptis, quorum consensu alioquin haec quaestio fere conficitur, primi editores quoque, in quibus praecipue Franciscus Puteolanus (Edit. Venet. 1497) mentione dignus est, Dialogum eidem auctori assignare non dubitaverunt. Primus Beatus Rhenanus (alias Bilde von Rheinau), Erasmi Rotterdamii amicus, rem in controversiam adduxit (Edit. 1519), qui „Hunc Dialogum, inquit, vix crediderim esse Taciti!"

Quam dubitationem, ut ita dicam, modestam quinquaginta fere annis post Iustus Lipsius, celeberrimus ille Taciti sospitator (Edit. Antwerp. 1574), vehementer corroboravit. „Tacitum, inquit, non esse (auctorem) tam certum apud me est, quam si Apollo respondisset". Stilum non fallax in hoc genere argumentum, in Tacito constrictum ubique, teretem, acutum et severum magis quam lepidum, in Dialogo omnia contra. Neque mutari illum in aetate aut argumento unquam potuisse ita, ut prorsus a se abiret. Sic in Ciceronis cum iuvenis tum senis scriptis apparere eiusdem viri habitus et vultus lineamenta.

XXI.

Quanta re vera difficultas in dicendi genere a Taciti more et usu et arte plane abhorrente sit posita, post Lipsium pertractari non desitum est. Novo autem cum ardore disceptatio saeculo undevicesimo exarsit. Eckstein (Proleg. in Dial. Halle, 1835) egregia dissertatione exposuit universum delectum verborum et sermonis conformationem et componendi Dialogi rationem et artem nihil quidquam habere consuetudinis vere Tacitinae. Verbi gratia in Dialogo saepissime recurrere 'autem' particulam, quae in omnibus Taciti scriptis vix decies reperiatur.

Item Spengel (Progr. Monac. 1852) notavit scriptorem Dialogi pronomine 'ipse' mire delectatum et abusum esse; nam in hoc uno libello fere centies repetitum inveniri. Alii urgebant, quod in Dialogo 'itaque, paene, praesertim, fere, propter, non solum — sed etiam' leguntur, quibus vocibus Tacitus constanter abstinuit.

XXII.

Gutmann Helvetius (Dissert. Turic. 1848) eiusque studiosi frequentem 'hercule' interiectionis usum vehementer increpuerunt. Stilum latinitatem iam in deterius labentem redolere, ut 'arcana semotae dictionis, negotium sibi importare, maturare festino, substantia facultatum, utilitates alere, suum genium propitiare, sextam huius principatus stationem', alia. Novata esse 'clientulus, planitas, uniformis, histrionalis, antiquarius'. Quam moleste repeti etiam atque etiam illas voculas 'et, que, ac', ut vel cupidissimus Dialogi admirator ea in re non possit non offendere.

Saepissime bina vocabula unam eandemque notionem significantia sine peculiari vi perperam iungi, ut 'memoria et recordatio, plena et frequens domus, veteres et senes, antiqui ac veteres, coniungere et copulare, invidere et livere'; ridiculum scilicet esse binis pariter intercedentibus uti verbis, ubi singula sufficiant.

In iis, qui Dialogum et libros Taciti historicos profectos esse censebant a diversis auctoribus cum alii tum Iustus Lipsius, Henricus Stephanus, Fridericus Augustus Wolf inveniuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIII.

Et iam eruditi, quibus Taciti causa cadere videbatur, circumspiciebant de alio auctore haud obscuri nominis, quem veluti in vacuam possessionem immittere possent. Neque erat, quod diu quaererent, cum unus ex paucis illis, quorum docta monumenta superesse voluit fortuna, suo se ipse indicio prodidisse videretur, Marcus enim Fabius Quintilianus, quem primum publico auctoratum stipendio rhetorices magistrum Roma habuit. Hunc igitur quasi postliminio in fundum merito restituere decrevit frequens criticorum sententia.

Videamus, qua veri specie quibusve rationibus hunc Dialogi nostri auctorem esse voluerint nonnulli.

„Et phrases pleraeque, inquit Lipsius, et profluens illa et facilis et, ut ita dicam, procurrens eloquentia Fabium videtur prodere". Caute vero adiunxit: „aliis nihil praeeo, quid sequantur".

Multi iactabant amicissimam opinionum conspirationem. Ad illustrandam vatum prisco tempore auctoritatem, cum tot alia exempla idem probassent, Orpheum et Linum nominari (Dial. c. 12 — Quintil. I 10 · 9). Tamquam exemplaria maturae in eloquentia praestantiae commemorari Calvum, Caesarem, Pollionem, Crassum (Dialog. 34 — Quintil. XII 6 · 1). Inter ineptas controversiarum materias 'pestilentiae remedia' enumerari (Dial. c. 35 — Quintil. II 10 · 5). Postremo e tanta multitudine pugilum Graecorum unum Nicostratum exempli gratia laudari (c. 10), quem senem a se adulescente visum esse testatur Quintilianus (II 8 · 14). Quae leguntur in Dialogo de tot oratoribus iudicia mirum in modum similia esse iis, quae in Institutione oratoria fieri.

XXIV.

Verba occurrere in Dialogo Fabio familiarissima, ut 'stilus otiosus, extemporalis temeritas, eloquentia virilis, scholasticae controversiae, tinnitus oratoris', utriusque vero proprium 'scurrilitas'. In Dialogo ac Quintiliani scriptis communiter esse obvia: 'humile et abiectum (Dial. c. 38 — Inst. or. II 12), vis et facultas (Dial. c. 30 — Inst. or. VII 1), sollicitudines et curae (Dial. c. 13 — Inst. or. XI 1), laudis et gloriae (Dial. c. 26 — Inst. or. II 16)'. Vocabula artis propria eadam fere esse in utroque libro, velut: 'clausula, compositio, structura, excessus, sensus = enuntiatum, declamatorius, deliberationes, probationes etc.' Vel eos locos, qui in aliena materia versantur, ita scriptos esse, ut tertio fere quartove versu fieri vix possit, quin is, qui satis longa Quintiliani lectione tritas habeat aures, similium illius locorum meminerit.

Totum denique orationis habitum et colorem plane geminum esse Quintiliani, ita, ut „nec ovum ovo magis respondeat, ut cuivis statim de probationis nervo constet, qui perlecto hoc libello vel tria capita e Fabii libris attentius perlustraverit" (Böcler).

Praeterea Quintilianum primis Dialogi verbis: „Saepe ex me requiris, Iuste Fabi", haud obscure indicari. Fabium enim Iustum, quem Plinius minor, Quintiliani discipulus, sibi fuisse amicum perhibet, procul dubio simul cum Plinio Quintiliano usum esse magistro ac solere discipulos potissimum ex magistris quaerere (Heumann).

XXV.

Illustrissimum vero argumentum nititur locis aliquot Quintiliani, ubi se eandem quaestionem libro singulari tractavisse testatur; primum Inst. or. x in prooemio c. 3: „Nam ita, inquit, forte accidit, ut eum quoque librum, quem de causis corruptae eloquentiae emisi, iam scribere aggressus simili ictu ferirer (sc. praematuro filii minoris obitu)".

Alter locus exstat Inst. or. VIII c. 6 sub finem: „Sed de hoc satis, quia eundem locum plenius in eo libro, quo causas corruptae eloquentiae reddebamus, tractavimus". De recto

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hyperboles usu agitur, quam tractationem, quoniam eius ne vestigium quidem aut verbulum inest in Dialogo, lacunis, quibus scateat, absorptam esse.

Nostrum libellum a Quintiliano significari multi asseclae Lipsii eo facilius sibi persuaserunt, quod Lipsianae editionis inscriptionem: 'Dialogus de oratoribus sive de causis corruptae eloquentiae' ab editore opusculo esse adaptatam ignorabant. In Dialogo c. 27 de 'fracta et deminuta eloquentia' agi dictum est.

XXVI.

At Lipsius ipse partes Quintiliani difficultatibus chronologiae permotus deseruit. „Ambigo, inquit, et cum multa dixerim, claudo tamen omnia et signo hoc responso: mihi non liquere".

Eandem ob rem nonnulli ex iis, qui Dialogum Tacito esse derogandum rebantur, ad Plinium minorem confugerunt. Magnam in vocabulorum usu et electione apparere similitudinem inter Dialogum ac Plinii libros. Synonymorum illam copulationem, in qua Dialogi scriptor adeo immodicus sit, ut ea, si quidquam, inter libelli proprietates sit referenda, Plinio quoque familiarem esse. Breve primum Panegyrici caput habere: 'bene ac sapienter, usurpandus colendusque, castus et sanctus, forte casuque, coram ac palam, arae et altaria, manifestus ac praesens'.

XXVII.

In Dialogo et Plinii scriptis pariter esse usitata: 'humile et abiectum (c. 38 — Ep. VI 3), laetum et alacrem (c. 18 — Ep. IV 1), eminet et excellit (c. 32 — Paneg. 2), circumcisa et amputata (c. 32 — Ep. I 20), fama gloriaque (c. 18 — Ep. IV 2), malignitate et livore (c. 41 — Paneg. c. 58)' etc. Neque deesse nostri scriptoris et Plinii locutiones paene proprias, velut: 'lenocinari voluptati (c. 6 — Ep. I 28), paupertas et angustiae circumstant aliquem (c. 8 — Paneg. 3), Ephesum clamoribus quatit (c. 15 — Paneg. 51), formare liberos = educare (c. 21 — Paneg. 51)'.

„Die ungemeine Schreibart", inquit Nastius, qui Dialogum a. 1787 Halis in vernaculam linguam transtulit, p. 13, „eben der Vortrag — eben der Ausdruck, der den Briefen des Plinius eigen ist, findet sich auch in dem Dialog auf eine ganz unverkennbare Weise". A Wittich (Jahns Archiv 5 S. 259) in Plinii Epistulis (I, 5) locum quendam patefecit, quo Dialogus huic auctori satis dilucide addici putat, namque verba: „cui est cum Cicerone aemulatio et contentus non est eloquentia saeculi nostri", quibus verbis Marcus Regulus delator Plinium vulnerabat, ad Dialogum esse referenda. Denique Kramarczik (Progr. Heiligenstadt 1841) omnibus, qui Dialogum non Plinio vindicaverant, prope somnum exprobravit.

XXVIII.

Sunt quoque, qui M. Valerio Messalae Corvino († 8 p. Chr. n.), Augusto aequali, sunt, qui C. Suetonio Tranquillo († 160 p. Chr. n.), sunt, qui Curiatio Materno tribuerent Dialogum. Si recte coniecerunt, Valerius Messala aliquanto post suam mortem, Suetonius, priusquam esset natus, Maternus vero duplex, et 'iuvenis admodum" et 'eminens orator', Dialogo interfuit.

In eo numero, qui incerti auctoris hunc libellum esse suspicantur, sunt Beatus Rhenanus, Iustus Lipsius, Gutmann, Eckstein, Bernhardy, Sauppe, Andresen.

XXIX.

Neque vero unquam defuerunt, qui a Tacito starent atque eius partes si non illustrioribus, at certe copiosioribus argumentis defenderent. In veterrimis erat Iosephus Scaliger.

Ac primum urgebant consensum codicum contra dicente Lipsio, qui „Quae illa (sc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exemplaria)? inquit; vix bina aut terna credo ea esse in omni Europa, quae tam facile et pronum est hic mentiri quam in aliis libris saepe".

XXX.

Stilum Dialogi valde abhorrere a Taciti scriptione, qualem in Annalibus Historiisque cognoscimus, nemo unquam infitiatus est. In Dialogo contendunt minus incise dici, rarius perpetuitatem verborum interrumpi, lenius fluere ac longius saepe vagari orationem rarius membris minutioribus carptam. Varie vero excusabant hanc diversitatem ii, qui Tacito favebant.

Aetate mutari dicendi genus et existere in sene maturius graviusque. Tacitum autem hunc Dialogum aetate florente conscripsisse, ad scribendos Annales Historiasque vero senem demum post Nervae mortem appulisse animum.

In Dialogo eminere imitationem Ciceronis, quem aemulari Taciti temporibus summae gloriae esse ductum et a Quintiliano, studiorum in melius mutandorum auctore et rectore, aequalibus vehementissime commendatum esse. Illum litterarum principem secutum esse Plinium minorem, ut ex eius epistulis ipsiusque verbis colligi possit. Secutum esse sine dubio et Tacitum cum Plinio non solum amicitiae necessitudine, sed etiam communi studiorum vinculo constrictum.

Idem Dialogi argumento, multitudine similium sententiarum, magno in singulis vocabulis et dictionibus consensu, idem ab ipsis interlocutoribus affirmari, qui ne Apro quidem excepto magna teneantur Ciceronis admiratione. Inde vocabula insolentiora, ut 'rotam fortunae, ius verrinum, decantatum illud esse videatur' commemorari.

XXXI.

Aliquanta ex parte discrepantiam elocutionis ne potuisse quidem devitari, nam aliud dicendi genus in historia requiri, aliud in dialogis vel orationibus, neque in nostro Dialogo „ullam aliam discrepantiam a Taciti stilo reperiri, quam quae necessario intercedere debeat inter scriptum oratorium et historicum". (Orelli).

Accedere, quod auctor alios faciat loquentes et ex eorum persona orationem struat, cum ipse in exordio se eorum sermonem iisdem numeris, iisdem rationibus repetere atque adeo data opera eorum verba et stili colorem sequi velle profiteatur. Ab uno Apro usurpari, quaequae elocutiones vituperandae sint. Tantum abesse, ut Dialogi dicendi genus mirum sit, ut historicum Taciti stilum excusari sit opus, cuius brevitate affectata in sermone quotidiano aut oratorio vix unquam uti potuerit.

Ceterum Dialogum sane fusius et aequabilius esse scriptum, quam reliqua Taciti opera, neque vero multo magis ab iis discrepare, quam a Quintilianeo stilo, quo laetiorem audaciorem, numerosiorem, elatiorem apparere, cum Plinianum scribendi genus prae flumine et vigore Dialogi valde exile et gracile (vel ut ait Eckstein: „pingue et floridum") sit.

Collatum cum Cicerone eum nervosiorem et vividiorem et adstrictiorem videri, namque sub Ciceroniana specie latere ingenium Tacitinum. 'Vel ex singulis verbis et dictionibus Tacitum ipsum ut ex ungue leonem perspici' (Hofmann-Peerlkamp).

XXXII.

Studium illud iungendi saepius duo vocabula eiusdem vel similis fere significatus, ut 'nova et recentia', apud Tacitum cerni frequentissime, velut: 'nova et recentia iura' (Hist. I 3).

In eodem Tacito obvias esse dictiones: 'studium haurire, carminum studium, amp lect

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eloquentia provincias, in consuetudinem vertere, probabiles causas afferre, nomine vocare, affluens auditor, fovere studium', alia.

Ut in Dialogo sic in Taciti scriptis coniungi: 'principem in civitate locum, infans delegatur ancillis, municipia et coloniae' alia.

„Formas vel insolitas dicendi adeo esse similes, ut merito affirmandum sit, nullum exstitisse scriptorem, qui tam impudenter haec ab alio furari ausus sit; et profecto oportuisse, ut unus et idem vel a se mutuatus vel se ipsum imitatus sit" (A Dupré, Dissertat. St. Calais 1848).

XXXIII.

Neque abs re erit attingere, qua ratione nuperrime nonnulli viri docti, Leo (Göttingische gel. Anz. 1898 I S. 169 ff.) et Norden (Antike Kunstprosa I 322 ff.) dissimilitudines stili explanare studuerint. Veteres arte rhetorica imbuto scribendi genere non iam ipsorum proprio, verum ad quamvis litterarum materiam aptato usos esse. Dialogi stilum sibi velle nescio quem lusum dicendi, cui Tacitus pariter ac stilo rhetorico vacavisset.

Quam opinionem novissimam Willamowitz conscius iam victoriae ita pronuntiavit: „Was hat es für Zeit und Mühe gekostet, dass begriffen wurde, wie Tacitus gleichzeitig den Dialog im Stile des ciceronischen Dialoges, den Agricola in dem des Enkomions (Prototyp: Xenophons Agesilaos, Polybios' Philopoimen), die Germania in dem der ethnographischen Ekphrasis (Ahnenreihe: Herodot, Theopomp, Timaios, Poseidonios, Sallust) verfassen konnte. Uns Modernen wird es eben schwer, die Einheit des persönlichen Stiles daran zu geben und die Forderungen der litterarischen Gattung anzuerkennen". (Asianismus und Atticismus, Hermes 35, 1. Heft, S. 25). Idem professor illustrissimus nos (ibidem Anm. 1) ingeniosius credo quam perspicacius edocet, cur-quomodo-quando Tacitus ad Dialogum componendum commotus sit: „Es sollte einleuchten, inquit, dass Tacitus den Dialog geschrieben hat, als er das Bild, das ihm Quintilian in seiner Streitschrift (libellus videlicet de causis corruptae eloquentiae, qui non exstat), vorführte, mit den Augen des Historikers überschaute, unmittelbar dadurch angeregt, natürlich aber, wie ein antiker Historiker pflegt, den Stoff und die Gedanken des Gelehrten übernehmend; wir finden sie z. T. in π. ὕψους, und natürlich hatten sie Philosophen gedacht, denen die Rhetoren sie alle entnahmen. Ausserdem hat dem Tacitus die Einleitung des ciceronischen Hortensius viel geliefert, wie sie Usener reconstruiert hat".

XXXIV.

Ut vero Taciti patroni dictionem huic auctori nequaquam repugnare, sic Dialogi cogitationes cum Taciti ingenio vel maxime concinere volunt.

Eadem in Dialogo atque in historicis libris iudicia occurrere. Sic Eprium Marcellum (c. 5) 'accinctum et minacem' dici, eundemque sub finem libri XVI. Annalium mutilati nuncupari 'torvum et minacem'.

Idem atque auctorem Dialogi sentire Tacitum de antiquis et recentioribus oratoribus; eodem quo Messalla loqui dolore et desiderio de temporum actorum felicitate; quod Tacitus (Agric. 4) de educatione liberorum sentiat, proxime accedere ad ea, quae c. 28 et 34 Dialogi dicta essent; aeque ac in Dialogo iudicari in scriptis Tacitinis de caduca natura et debilitate generis humani, de legum et eloquentiae origine etc.

„Illud quoque, inquit Orelli, velim animadvertatis, in Dialogo ut ceteris in libris Tacitum ubique memorem esse veteris ac liberae reipublicae, cuius interitum, quocum una conticuerat vera eloquentia, ex animo deflet ac luget, illa tamen cautione adhibita, quae decebat sapientem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virum unius dominationi subiectum simulque, cum iniqua ista sors esset, utique agnoscentem nec tamen novarum rerum cupidum".

Denique tractationem de causis corruptae eloquentiae a Taciti studiis minime alienam esse, quippe quem tamquam huius disceptationis imprimis gnarum in diiudicando optimo genere Plinius minor consultaverit (Ep. I 28).

Neque vero quidquam technici reperiri, sed in universum causas indicari, cur Vespasiani aevo multum iam defecerint oratores a Tulliana praestantia. Praecepta illa de hyperbole a Quintiliano commemorata non cadere in libellum nostrum, qui magistrum rhetorices omnino non sapiat.

XXXV.

Quartum argumentum defensores Taciti auctoris e testimoniis veterum scriptorum petiverunt, quorum praecipue locus quidam Plinii iunioris, quo primus AGLangius (Verm. Schr. S. 3) est usus indicio, omnem dubitationem eximere videbatur.

Nam quae in Ep. IX 10 ad Tacitum scripta leguntur: „Itaque poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas" in c. 12 Dialogi consimilia atque eandem rem exprimentia invenimus: „nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur".

Ad quod verba Pomponii Sabini, grammatici medii aevi, in medium proferebantur, qui (de Antiquitatibus urbis Romae) ad carmen de obitu Maecenatis adnotavit haec: „Cornelius Tacitus appellat scripta Maecenatis calamistros". Neque vero in scriptis Taciti, quotquot exstant, usquam occurrit dictio aut iudicium eius tenoris, nisi in Dialogo nostro, ubi (c. 26) non quidem e Taciti, sed e Messallae persona calamistri Maecenatis obiter carpuntur.

XXXVI.

Quintum argumentationis adminiculum fautores Taciti desumunt de ratione aetatis, quae certe in eum convenit opportune. Clare enim tempus et ipse annus, quo Dialogus habitus est, designatur (c. 17), etenim annus sextus principatus Vespasiani, qui est aerae nostrae christianae septuagesimus quintus. Quod usque ad a. 75 inde ab interitu Ciceronis (43 a. Chr. n.) perperam non centum duodeviginti, sed centum viginti annos praeterisse subicitur, hunc numerum ad appositum 'unius hominis aetas' spectare patet. Negabant enim veteres hominum vitam ultra 120 annos produci posse (Arnob. II 71).

Utrum auctor calculos consulto indiligenter posuerit, necne, an quidquam supplendum mutandumne sit, pro certo affirmari nequit. At ne forte secundo temporis indicio plus primo tribuamus neve Dialogum a. 77 opinemur esse habitum, eo impedimur, quod C. Licinius Mucianus, quem ante a. 77 mortuum esse ex Plin. Hist. nat. XXXII 6 colligitur, in Dialogo (c. 37) in vivis habetur.

XXXVII.

Auctor vero se tunc 'iuvenem admodum' fuisse testatur. Natus a. 56 Tacitus illo tempore, quo sermo factus esse fertur, circiter duodevicesimum annum agebat potuitque vere appellari 'iuvenis admodum', cum in primo iuventutis quasi limine haereret. Namque Romani ab anno aetatis decimo septimo usque ad quadragesimum sextum iunioribus ascribebantur (Varro apud Censorinum, De die nat. 14; Gellii Noctes Attic. X 28).

At Fabio Quintiliano aetatis ratio non dubium est, quin refragetur. Qui, si minimum statuimus, a. 75 tricesimum tertium, ex altera probabiliore computatione iam quadragesimum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

annum agebat, qua aetate 'iuvenem admodum' nescio an nemo nisi forte grandis qua virgo se appellet. Ceterum Quintilianus se librum de causis corruptae eloquentiae eodem fatetur emisisse anno, quo filium minorem amisisset, id quod esse factum a. 87 effici potest (A Wittich, Jahns Archiv 5 S. 280). Accedit, quod Iulium Secundum „aequalem suum et familiariter a se amatum" dicit (Inst. or. X 3. 12), cum scriptor Dialogi sese Iulium Secundum „non modo studiose audivisse, sed domi quoque et in publico assectatum esse mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili" narret.

XXXVIII.

Ac ne Plinio quidem tum puero tredecim annorum annus 75 favere videtur, quia Romani usque ad decimum quintum aetatis annum, quo in forum deducti virilem togam sumebant, pueri vocari solebant, adulescentes vero sumpta iam toga virili usque ad id tempus, quo stipendia facere coeperunt. Praeterea nec Apri nec Secundi in Plinii scriptis mentio fit neque eundem Plinium, qui Quintilianum magistrum tot laudibus effert, in Epistulis Aprum et Secundum, si modo iis magistris usus erat, nunquam laudasse, nunquam iis gratias egisse non consentaneum est.

Quod contra quam bene quadret a. 75 in Tacitum, ipse declarat in Agric. 7, ubi Domitianum duodeviginti annos natum, et in Hist. IV 5, ubi Helvidium Priscum annum circiter undevicesimum gerentem 'iuvenem admodum' vocat.

XXXIX.

Age nunc perpendamus, quid valeant haec argumenta.

Ac primum dubito, an auctoritas codicum eo, quod omnes ex uno archetypo manavisse haud ita multo ante nostrum tempus cognitum est, utpote quae hodie in unius libri fide haereat, non sit amplificata. Licet iam Henochii exemplar nomen Taciti prae se tulisse satis constet, tamen nos invictis momentis coactos auctorem in dubium devocare fas est.

Quanta incuria librarii indices tractarent, eiusdem Dialogi codices editionesque plane aperteque ostendunt. Variant enim partim nihil nisi verba 'Dialogus de oratoribus' exhibentes, partim ampliantes, ut in editione Veneta a. 1512 a Puteolano excussa, ubi legitur: 'Cornelii Taciti, equitis Romani, dialogus an sui saeculi oratores et quare concedant'. Quin etiam nostra inscriptio 'Dialogus de oratoribus' probabilibus de causis ambigitur, quia „tam late patet adeoque est incerta et infinita, ut cuius argumenti tractationem in libro expectandam habeas, iure dubius haereas ac suspensus". (Eckstein).

XL.

Accedit, quod neque ignotum neque inusitatum est librarios aliquando ad calcem scriptorum brevem aliquem libellum adiecisse, vel ut explerent vacuum chartae spatium, vel ut scripto suspicione clarioris auctoris maiorem pararent dignitatem.

Attamen auctoritas codicum, dum ne illustribus argumentis labefactetur, observanda est, neque sufficiunt, ut ab ea discedamus, merae suspiciones. 'Etenim si ita progreditur in argumentando, tum nullum fundamentum, quo nitamur, satis firmum, nullae causae tam graves, ut non a levissimo quoque homine in dubitationem vocari possint'.

Quodcirca ne ii quidem, qui cum Lipsio sibi non liquere asserunt, iam habent, quod alium auctorem requirant. Quoad enim, cur reiciendus sit, non liquet, Tacitus auctor satis superque sustentatur auctoritate codicum.

XLI.

Iam vero recte quidem in universum Lipsius Dialogi genus dicendi a Taciti plane abhorrere monuit neque qui Tacitum utrique scribendi rationi eodem tempore studuisse sibi persuadent,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

suae sententiae multos socios habent. Eckstein eos haud nimis urbane: „vel obcaecatos prorsus vel opinionibus praeiiudicatis irretitos“ arbitratur, sed Th Vogel (Jahrb. für klass. Phil. 1881) non minus confidenter „hanc condicionem (sc. Dialogum conscriptum ad posterius aliquod tempus quam habitum referendum esse) ita premit, ut cum ea res stetque cadatque“. Diversitas illa stili rhetorici, quam Willamowitzius fuisse vult, si modo recte statuitur, non cadit certe in Tacitum. Namque sit Agricola†) Agesilai Xenophontei ritu, sit de Germania opus in modum Herodoti vel cuiuslibet alterius scriptoris compositum, qui fit, ut idem fere intersit inter Historiarum et Annalium genus dicendi? Quam differentiam, nisi forte diversis imperatoribus diversum stilum respondere autumamus, cum Wölfflino (Philologus 25, 26, 27) ita interpretari malemus, ut stilus Tacitinus pro auctoris indole gradatim mutaretur, id quod et ipsum potestatem quandam de auctore coniciendi facit. „Das Princip der stilistischen Genesis“, ait Wölfflin (Philol. 25), „innerhalb der historischen Bücher nachgewiesen, vermindert rückwärts auf den Dialogus übertragen die Zweifel über die Autorschaft nicht unbedeutend“.

XLII.

At Lipsius, ut erat Taciti, cuius opera omnia memoria tenebat, gnarissimus, stilum in aetate aut argumento nunquam mutari potuisse contendit ita, ut prorsus a sese abiret; sic in Ciceronis cum iuvenis tum senis scriptis apparere eiusdem viri habitus et vultus lineamenta.

At dubito, an Tacitus hac in re cum Cicerone conferendus sit, quoniam Cicero suum dicendi genus, ut ita dicam, creavit, cum, qui Quintilianum sequebantur, Ciceronem imitantes animos excolerent. „Imitatio, inquit Cicero (ad. Herenn. I 3), est qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo valeamus“, verum addi potest plerumque studium quoddam sui ipsius occultandi accedere. Buffonii illud ‘le style est l’homme même’ non valet in aemulatores, qui cum iis, quos sibi imitandos proponunt, non tam conferri, quam confundi gestiunt. Quantopere proprium ingenium si non opprimere, at certe reprimere sciant, diversa illa scribendi genera ostendunt, quae nominibus Marinismi, Gongorismi, Stili pretiosi, Euphuismi laudantur.

XLIII.

Auctor Dialogi sibi voluit imponere Ciceronis personam, voluit prorsus a se abire, neque quod Th Vogel eum ‘tam anxie, paene serviliter Ciceronis vestigia pressisse’ improbat, dubito, quin sibi versurus fuerit laudi. Non solum stilum Ciceronis, sed etiam sententias et instituendae disputationis rationem imitatus est. Quin etiam nonnullis locis eandem ac Cicero sententiam iisdem verbis exprimit, velut c. 18: „Gracchus plenior et uberior“, quocum conferatur Cic. Brut. 23. 125: „noli putare quemquam Graccho pleniorem et uberiorem fuisse“. Adeo hoc scribendi genus non nativum erat, ut auctor Dialogi eius usu ne vere quidem exercitatus esset. Difficultatibus enim conflictabatur neque in aemulando semper fuit felix. Hilaritate quadam perfusi apud Vahlenium (Ind. lect. Berol. 1878/79) legimus, quot locis „stilum ad Ciceronis illum quidem imitationem formatum, sed non acri ubivis iudicio subactum aut certo decoris sensu temperatum proderit“. Unde cognoscitur eum scribendi ratione non iam in consuetudinem conversa, sed affectata usum esse. Ob affectatam vero dictionem libri auctoribus non solent abiudicari.

---

†) „Agricola quidem in exordio praecipue et in fine enuntiationum ambitu et numeris scriptorem rhetoricis praeceptis instructum ostendit, in reliquis autem eandem pompam ostendit, qua Sidonius Tacitum insignem fecit, eandem brevitatem, eandem membrorum concinnitatem“. (Eckstein).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XLIV.

Ac ne Tacito eandem ob rem Dialogum denegemus, illud quoque commovet, quod Cicero, qui scribere nunquam multum desiit, facilius sibi constare, sed Tacitus, qui totum Domitiani imperium 'per silentium' degebat, facillime a pristino modo deflectere potuit.

Attamen stilum, etiamsi res aliter se habeat, saepius ita immutari, ut vix agnoscatur, praeclarum, quo illustretur, exemplum in promptu est. Morhof enim, professor Kiliensis († 1691), virum quendam doctissimum commemorat, in quo similis commutatio facta est. „Vehementer, inquit de eo Morhof (Polyhistor I 24 p. 299), senex a iuvene discrepat. Cum enim in iuventute sua Ciceronianam dictionem sequeretur, maturioribus annis paene novum eloquentiae genus sibi finxit". Neque vero vir ille, de quo loquitur, quisquam alius erat, nisi Jost Lips, alias Iustus Lipsius.

XLV.

Perraro imitatores eo usque perfectionis atque absolutionis propositum tenent, quin ipsorum propria vestigia cernantur. Quae vestigia ut indagarent, et Quintiliani et Plinii et Taciti patroni operam dederunt nulla nimirum factione frustra conitente, quia tres illi auctores ex iisdem fontibus hauserunt quidque uniuscuiusque proprium sit, difficile est cognitu.

Quanta inter Dialogi et Taciti dictionem intercedat similitudo primus FWeinkauff (Progr. Köln 1857) exemplis uberrime collatis planum facere conatus est. Cuius exemplorum congeries, quamquam multum valuit ad Tacitum penitus intellegendum, tamen undique acriter impugnabatur. 'Pace Weinkauffii' obiciebant eadem ratione Dialogum vel Senecae vel cuivis fere ob communem vocum nonnullarum usum ascribi posse. Qua lubrica disputatione qui nitantur, eos 'pace Weinkauffii' oleum et operam perdere. 'Pace Weinkauffii' nihil ex singulis effici posse in tanta totius formae diversitate. Neque deerant, qui 'eruditionem, per quam Weinkauffium incessebant', 'pace Weinkauffii' ex ipsius libro mutuarentur.

XLVI.

Weinkauff respondit: „Haud ignoro ex singulis verbis, formulis, structuris nihil probari sane, si singula reputantur; at si conspirant, saepissime multitudo cedit in pondus".

Qua opinione vereor ne vir spectatissimus longe falsus sit.

Ac primum quotusquisque est, qui fusam eius argumentationem altius perscrutetur, praesertim cum Weinkauff nec ea exempla spernat, quae ut 'ne nostris quidem temporibus' utrobique inveniri minime mirum est, nec alia multa, quae consimilia esse parum perspicuum est, velut 'tradere invicem' et 'tradere per commercia'.

Tum vero quotusquisque est, cui Weinkauffii copiis diligenter excussis persuasum sit? Anquiri enim potest:

I. Dialogusne Taciti scriptis similior sit, quam aequalium auctorum,†)
II. num similitudo Dialogi cum Taciti scriptis maior sit, dissimilitudine,
III. num Dialogus a Taciti scriptis rarius discrepet, quam a reliquis eiusdem aetatis,
IV. nonne, si unum alterumve ita se habet, Tacitum fuisse auctorem sequatur.

Sed ne uni quidem quaestioni annuendum est. Id solum nihil iam habet dubitationis, quin differentia Dialogi operumque Tacitinorum nequaquam ea sit, quae libellum eidem auctori ascribere

†) Plus sexaginta vocabula Dialogi non inveniuntur apud Plinium atque idem fere numerus non occurrit apud Quintilianum. Illa nescio quo pacto ad unum omnia in Taciti libris leguntur. Quod si quis Tacito suffragari gaudeat, laetitia eo extenuatur, quod plus centum triginta Dialogi vocabula non obveniunt in scriptis sine dubio Tacitinis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prohibeat. Multae enim in Dialogo sunt locutiones quae Taciti propriae videntur, multus in oratorio ornatu, multus in grammaticis rebus consensus.

XLVII.

Quod ut planum fiat, non est opus longum esse.

I. Grammaticis in rebus quae Dialogus et libri sine dubio a Tacito scripti similia habent, insigniora fere haec sunt: habere cum gerundivo (c. 3 — Ann. IV 40), quamquam coniunctionis cum coniunctivo frequentior usus, sunt-qui cum indicativo (c. 3 Agric. 28), infinitivus pro quin (c. 18 — Ann. II 26), manifestus cum infinitivo (c. 16 — Ann. II 57).

II. Per hendiadyn dictorum synonymorumque usus, cui nullus fere scriptor magis indulsisse constat, quam Tacitus — at Quintilianus parcissime —, in Dialogo tam frequens est, ut nonnulli viri docti iam inde tantummodo Tacitum Dialogi scriptorem esse collegerint. Exempli causa proferuntur: metus et terror (c. 5 — Agric. 32), tueri et defendere (c. 7 — Germ. 14), sordidum et abiectum (c. 8 — Ann. XIII 46), carmina et versus (c. 9 — Ann. XVI 19), nemora et luci (c. 9 — Germ. 9), robur ac vires (c. 10 — Hist. II 11), fortuitae et subitae dictionis (c. 10 — Germ. 11), habitu cultuque (c. 12 — Ann. I 10), inauditus et indefensus (c. 16 — Ann. II 77), novam et recentem curam (c. 17 — Hist. IV 65), rudis et informis (c. 18 — Germ. 45), vis et potestas (c. 19 — Hist. III 11), vim et ardorem (c. 23 — Agric. 8), modestia ac pudore (c. 26 — Ann. III 26), severitate et disciplina (c. 28 — Germ. 25), sincera et integra (c. 28 — Hist. IV 64), angustis et brevibus terminis (c. 30 — Germ. 6), consilio et auctoritate (c. 36 — Germ. 12), viribus et armis (c, 37 — Hist. II 74), clamore plausuque (c. 39 — Hist. III 83), dissensionibus et discordiis (c. 40 — Agr. 32).

III. Imprimis Taciti causae patrocinantur vocabula quaedam et dictiones, quae aut nusquam fere nisi apud Tacitum leguntur aut alia a ceteris scriptoribus usurpantur notione, ac quam Tacitus iis solet tribuere. Ad id genus pertinent: histrionalis (c. 26 — Ann. I 16), nomen inserere famae (c. 10 — Hist. 61), famam alicui circumdare (c. 37 — Hist. IV 11), denegat alicui natura ingenium (c. 10 — Ann. XV 42), subnixus gratia (c. 6 — Ann. XIII 6), delegatur infans ancillae (c. 29 — Germ. 20), in ore hominum agit (c. 37 — Hist. III 36).

Quae operosae minutiae et aliae multae praecipue Weinkauffii, Wölfflini, Vogelii investigatione exploratae, quamvis non comprobent Dialogum Tacito ob stili consensum addicendum esse, tamen satis illustrant Dialogum ob stili dissensum Tacito non denegandum esse.

XLVIII.

Neque maior vis sententiarum iudiciorumque, quae in Dialogo feruntur, cum Tacitinis similitudini inest, sive potius minor, siquidem facilius immutantur repetunturque.

Satis habemus, quod Dialogi Tacitique cogitationes non aperte inter se pugnant, cum Quintilianus quidem nonnunquam a Dialogi iudiciis recedat. Saleium Bassum enim, qui in c. 5 'absolutissimus poeta' vocatur, 'vehemens — ingenium — nec ipsum senectute maturum' arbitratur (Inst. or. XI 96) ac de Caesaris eloquentia sentit diverse (c. 21 — Inst. or. X 1). Anceps utique et infirmum videtur argumentum a sententiarum convenientia depromptum, quia in utramque partem diripi potest. Quid? quod adversarii obstinati inde rem contrariam colligunt obicientes:

PeM: Scriptores vere magnos non repetere sententias.

SaM: Atqui in Dialogo scriptisque Taciti occurrere semel ac saepius easdem sententias.

SeP: Ergo haec opera non esse orta ab eodem auctore.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XLIX.

Ex duobus illis testimoniis scriptorum veterum, quibus, qui Tacitum auctorem putant, nituntur, alterum e verbis Pomponii Sabini allatum a Lipsio aspere repudiatum est. „Quid dicam? inquit; serio et ingenue nihil me credere huic ignobili Sabino, qui ex veteri verbo somniavit fortasse, quod voluit.“

Dubito, an Lipsius clementius de Pomponio existimaturus fuerit, si cognitum habuisset, quam nihil valeat eius testimonium, namque Pomponius Sabinus, alias Iulius Sanseverinus (cf. Saxii Onomasticum, 1775 p. 491), mortuus est Venetiis a. 1498 Dialogo iam quater (primum 1470) typis expresso.

Sed ne Plinii quidem testimonium tanti est momenti ac ponderis, quanti initio multi sibi persuaserunt. Neque enim Dialogum in Ep. IX 10 ab eo significari aut certum aut verisimile est. Reapse est mirum huic testimonio vel eos nimium tribuisse, qui Dialogum post Domitiani tempora scriptum esse negant, sicut sentit virorum doctorum maior pars. Plinius enim epistulam IX. 10 post a. 98 dedit (A Mommsen, Hermes III p. 31 ff.) neque liquet, quomodo Dialogo multo ante edito unum alterumve locum et iisdem verbis reminisci et fonte non apposito laudare potuerit.

L.

Scribit autem: „Cupio praeceptis tuis parere; sed aprorum tanta penuria est, ut Minervae et Dianae, quas a i s pariter colendas, convenire non possit. — Itaque poemata quiescunt, quae tu inter 'nemora et lucos' commodissime perfici p u t a s“.

Iam Casaubonus hanc epistulam senserat respondere ad alteram a Tacito ad Plinium missam, in qua Tacitus, ut licet ex Ep. I 6 colligere, consilium dederat Plinio Minervam atque Dianam pariter colendi, quas Plinius in Ep. I 6 scripserat simul montibus inerrare.

Nisi secunda a Tacito 'putata' sententia tam apprime ad Dialogum Tacito vindicandum conveniret, dubito an nemo unquam utramque sententiam fuisse in eadem epistula infitiaturus fuerit. Nunc vero Plinius a multis viris doctis primam Taciti sententiam, quam 'ait', ex eius epistula, secundam vero, quam 'putat', ex Dialogo attulisse existimatur. At cur Plinius, quid 'aiat' Tacitus, ex alio, ac quid 'putet' loco deprompserit, eo difficilius est dictu, quod ambae sententiae arte inte se cohaerent. A i e b a t Tacitus Minervam et Dianam (i. e. poësin et venationem) pariter esse colendas; p u t a b a t enim poemata commodissime perfici inter nemora et lucos.

Denique omnino non potest esse, ut Plinius, quid putaret Tacitus de secessione poetarum in nemora et lucos, hauserit ex Dialogo neque erraverit, namque in Dialogo, quid putaret Tacitus de hac quaestione non est patefactum. Poetis in nemora et lucos secedendum esse et Aper et Maternus memorant neque vero, quid ipsi sentiant, sed opinionem omnium poetarum communem proferentes, cum Plinius hanc sententiam a Tacito pronuntiari faciat.

Quamvis vero eius testimonium ad Dialogum non respiciat, tamen documentum dat haud spernendum, sententiam a Plinio laudatam non, ut Aper fingit, vulgare dictum poetarum, sed Taciti propriam esse, id quod nonnihil obsecundat Taciti causae.

LI.

Quin per temporis rationem, quo Dialogus habitus est, hunc libellum Tacito tribuere liceat, Lipsius et Gutmann ea de causa dubitabant, quod 'dignitatem a Vespasiano inchoatam' quaesturam fuisse opinabantur, cui sententiae Tacitus ipse adversari videtur sese a 77, quo Agricola ei filiam despondit, prae socero tum tricesimum sextum vel septimum annum agente iuvenem fuisse indicans (Agric. 9).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mature enim uxorem ducere iuvenes Romani illis temporibus ob ius liberorum cogebantur, quod cum alia commoda tum potestatem ad rem publicam aggrediendi deferebat. Agricola eadem fere aetate, nempe unum vel duo et viginti annos natus matrimonium iniit.

Qua igitur ratione subducta Tacitus Dialogo, ut supra diximus, iuvenis duodeviginti annorum interfuit. Iuvenem 'admodum' modeste se fuisse addit, quia studiis rhetoricis non absolutis ad hunc sermonem adhibitus est. 'Pueri enim adulti fere transferebantur ad rhetores et apud eos iuvenes etiam facti perseverabant' (Quintil. Inst. or. II 2).

LII.

Utrum Dialogus re vera habitus sit necne, paulum refert, quoniam procul dubio ita fictus est, quomodo et quando haberi potuit. Pluris interest, quando sit scriptus et evulgatus.

Quominus iam Vespasiano principatum obtinente conscriptus sit, potissimum hoc repugnat, quod imperator inde ab a. 75 nonnisi quattuor annos in vivis permansit neque his paucis annis interpositis aut Tacitus sese multo maturiorem iudicavisset aut Fabius Iustus ex Tacito eas res, de quibus in Dialogo agitur, quaesivisset. Immo vel maxime dubium est, an Fabius Iustus, Plinio minori amicissimus, iam tum ad has quaestiones excutiendas aetate satis provectus fuerit.

Sed difficultas haudquaquam tollitur, si Dialogum sub Titi imperio scriptum esse facimus, quia intervallum biennii dubitationem intactam sinit. Accedit, quod, ut monuit Andresen, Tito imperante auctori ad annum 75 significandum rectius 'paucos abhinc annos' scribendum erat. Neque vix sex annis interiectis iam erat, quod M. Aper et Iulius Secundus 'celeberrima tum ingenia fori nostri' dicerentur, praesertim cum auctor ad amicum scriberet, quem talium rerum notitiam habuisse probabile est.

LIII.

Tito mortuo Domitianus quindecim annos summo imperio erat. Ne post eum Dialogus scriptus sit, primum discrimen generis dicendi obest. Tum Maternus sub finem huius principis (a. 91) supplicio affectus est, quod si Dialogi auctor iam scivisset, verba Materni sub finem capitis 13 aut omisisset aut commutavisset. Maternus hoc loco se naturae concessurum esse credit, neque de sua caede quidquam constare indicat.

„Non — incertus futuri, inquit, testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui velim relinquere (quandoque enim fatalis et meus dies veniet), statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus, et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget". Quocum conspirat, quod dicens in c. 11 inducitur: „nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor, quam eloquentia, nec vereor, ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint".

Deinde in Dialogo, si post mortem Domitiani scriptus esset, haud dubie vestigium aliquod irae et odii in Domitianum ex servitute priore conceptum inveniremus, sicut permulta occurrunt in primis capitibus Agricolae.

Denique quis est, quem auctor serio adducere posset ad credendum se sermonem illum viginti duobus annis post 'iisdem numeris iisdemque rationibus' e 'memoria et recordatione' repetere. Quae cum ita sint, nihil relinquitur, nisi ut Dialogum Domitiano imperitante scriptum esse statuamus.

LIV.

Verum enim vero multa impediunt, ne editionem eidem temporis spatio adiungamus. Primum Tacitus ipse illos annos se 'per silentium' egisse et 'memoriam prioris servitutis incondita ac rudi voce composuisse' memorat (Agric. 3).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tum Cicero morem constituerat „neminem includere in dialogos eorum, qui viverent", (ad. Attic. XIII 19. 3). Quamobrem Dialogum nostrum vivis aut Curiatio Materno, qui a. 91 interfectus est, aut Iulio Secundo, qui haud ita multo ante a. 96 (a. 88?) vitam posuisse videtur. non evulgatum esse prope certum est.

Deinde in Dialogo ea leguntur, quae Domitiano regnante sine gravi scriptoris periculo edi non potuerunt. Domitianus enim „non solum ut in se dicta interpretabatur, quae de simillimo dicerentur (Plin. Paneg. 53), sed etiam cum sermo esset de humanitate, exprobrari sibi superbiam credebat, cum de frugalitate luxuriam, cum de clementia crudelitatem, cum de liberalitate avaritiam, cum de benignitate livorem, cum de continentia libidinem, cum de labore inertiam, cum de fortitudine timorem" (Plin. Pan. 3).

LV.

Quae suavitas Domitiani aeque repugnat opinioni Dialogum iam ante eius imperium evulgatum esse, namque parum credibile est istud monstrum coronatum libellum Vespasiano vel Tito vivo emissum non modo inultum reliquisse, sed 'etiam dignitatem auctoris longius provexisse'. Ac ne forte Dialogus principem fugeret, Eprius Marcellus Vibiusque Crispus delatores praecavissent, praesertim cum et ipsi haberent, quare libellum graviter ferrent, namque verbis 'sordide et abiecte nati, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus (c. 8), adligati canina adulatione (c. 13)' ornantur. Vivebat autem Vibius Crispus usque ad a. 93.

LVI.

Quominus denique editionem post Domitianum mortuum a Tacito factam esse arbitremur, et ea interdicunt, quibus libellum tum scriptum esse suspicari vetamur, et auctor ipse, qui libellum Fabio Iusto petenti scriptum ac statim missum esse perhibet.

Itaque cum Dialogus nec ante imperium Domitiani a Tacito emissus sit, nec intra nec post, nihil restat, nisi ut familiariter ad Fabium Iustum scriptus post mortem Taciti ad lucem prolatus sit.

LVII.

Magnopere haec opinio confirmatur silentio perfecto, quod omnes scriptores aequales de Dialogo obtinent. Neque libellus ipse, neque, quid contineat, usquam, quod sciamus, aut perspicue aut obscure significatur. Idem Plinius, quem videmus in Epistulis tot oratorum poetarumque memoriam celebrantem, nusquam Aprum aut Secundum nominat, nusquam Maternum inter poetas refert aut commemorat Messallam, fratrem eiusdem M. Reguli, quem totiens inclementer obiurgat.

Quod qui casus ludibrio tribuit, illud quidem non flocci habebit, quod Plinius a Tacito, qui ei 'maxime imitabilis, maxime imitandus videbatur' (VII 20), adeo discrepat, ut (Ep. II 3) scholasticos, quos Dialogi auctor asperis facetiis insectatur (c. 14 et 26), magnis ornet laudibus. An concinit haec dissensio cum fine Ep. I 20, ubi Plinius scribit Tacito: „Haec est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu, sed plane cur dissentias explices rogo. Quamvis enim cedere auctoritati tuae debeam, rectius tamen arbitror in tanta re ratione quam auctoritate superari".

LVIII.

Plinium quidem nullos Taciti nisi historicos libros novisse ipse fateri videtur, cum ad Tacitum (Ep. VII. 33) scriberet: „Auguror, nec me fallit augurium historias tuas immortales futuras".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Apertissime vero, quam ignoraret Dialogum, Ep. I 20 cernitur, qua epistula Plinius ex Tacito requirit, utrum orationem magis probet largam an brevem. Docto cuidam homini, cui sibi frequens sit disputatio, nihil aeque in causis agendis ut brevitatem placere, cum ipse ut alias bonas res ita bonam orationem meliorem esse quamque quo maiorem persuasum habeat.

Quam subtilem sententiam Plinium laturum fuisse, si legisset Dialogum, in quo 'impeditissimarum orationum spatia' carpuntur (c. 19) atque in Messalla et Materno et Secundo 'antiquorum, quotiens causa poscit, ubertas, et, quotiens permittit, brevitas' praedicatur (c. 23), id sane incredibile est.

LIX.

Scripta inedita auctorum illustrium antiquitus haud raro, cum decessissent, foras esse data ac saepenumero et ea, quae ad emissionem minime destinata erant, cum alia exempla tum Ciceronis epistulae declarant. Neque vero lucri causa fieri solebat, cum auctores tum mecerdem non acciperent, neque ad lectorum cupiditatem restinguendam, id quod Dialogo contigisse veri eo dissimilius est, quod Tacitus nec est nec esse voluit scriptor profani vulgi.

Plerumque auctoris posteri scriptis, quae reliquerat, editis sive eum pia memoria colere sive eius gloria suam dignitatem amplificare studebant.

Ac prudenter quidem Tacitus se gessit in eligendis posteris, namque numerat in iis duos imperatores, Tacitum († 275) et Florianum, eius fratrem († 276), deinde Polemium, praefectum praetorio († 476 cf. Apoll. Sid. Ep. IV 14).

De imperatore Tacito autem Vopiscus Syracusius (Vita c. 10) memoriae prodidit haec: „Cornelium Tacitum scriptorem historiae augustae, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit, et ne lectorum incuria deperiret librum per annos singulos decies scribi publicitus in cunctis archivis iussit et in bibliothecis poni".

Qua pietate dubito, an Corneli Taciti Dialogus de oratoribus conservatus sit.

LX.

De libello agitur, quem FAWolf 'aureolum' vocavit et ipse Lipsius esse censebat 'optimum stilo, inventione, iudicio, ita ut in hoc genere conferre nihil vereretur cum iis, quae optimi saeculi et optimae notae'.

Qua de causa labor a tot viris doctis in explorando auctore consumptus profecto non vanus, immo perinde meritorius fuit, ac si investigemus nobilis filii incognitum patrem. Agedum ecquis patris loco dignior est, quam Cornelius Tacitus, quem, ut utar verbis Orelii, 'suspicimus venerabundi'.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf